DE

SECALI CORNUTO

EJUSQUE VIRIBUS NOCENTIBUS ET SALUTARIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXIX. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Stanislaus de Szarzyński

SILESIUS.

OPPONENTIBUS:

A. KEUTEL, med. et chir. Dr.

G. SARO, med. et chir. Dr.

H. BERTHOLD, med. et chir. Dd.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

GENEROSISSIMO, NOBILISSIMO

ALEX. DE MIEROSZEWSKI,

FAUTORI SUMMO

EGREGIE DE SE MERITO

NEC NON

VIRO

NOBILISSIMO, HONORATISSIMO

FRANCISCO DE WINKLER,

PATRONO MAXIME VENERANDO

HUNC LIBELLUM

PUBLICUM PIETATIS MONUMENTUM

ESSE VOLUIT

AUCTOR.

DE SECALIS CORNUTI NATURA AD BOTANICEN SPECTANTE.

LITERATURA.

Baldinger, secale cornutum perperam a nonnullis ab infamia liberatum. Jenae 1771.

Candolle de, Flore francaise. Paris 1805—1816.

Fries, Systema mycolog. II. pag. 263, pag. 268. VI. pag. 115.

Keyl, Dissertatio de secali cornuto ejusque vi in corpus humanum salubri et noxia. Berolini 1823 pag. 10 sqq.

Leveillé, in: Annales de la société Linnéenne de Paris 1827. T. V. pag. 578 sqq.

Nees ab Esenbeck, Fr. et Ebermayer, Handbuch der pharmaceut. Botanik. I. pag. 28.

Nees ab Esenbeck, Plant. officin. Suppl. I.

Padiera, Rud., de secali cornuto Dissert. Berolini 1831. Cap. I. pag. 7 sqq.

Phoebus, Deutschlands Kryptog. Gewächse. 1838 pag. 97 et al.

Robert, in: Rust's Magazin Bd. XXV. Hft. 1 pag. 5 sqq. pag. 19 pag. 24 sqq.

Schriften der Berliner Gesellschaft naturforschender Freunde. I. pag. 244.

Unger, die Exantheme der Pflanzen.

Wildenow, in: Hecker's Jahrbücher der Staatsarzneikunde. Bd. I. pag. 240.

Secale cornutum singularem exhibet deformitatem seminum vegetabilium plurium (1) ad familiam graminearum pertinentium, ortam germinis morbosa in amplitudinem enormem extensione, qua non solum embryi evolutio retardatur, sed etiam forma, colore, vitio degenerata caryopsis cum in mixtione principali, tum in facultatibus et effectu penitus mutatur. Prae omnibus secalis cerealis, noti illius farris ubicunque gentium culti, Triandriae Digyniae et Gramineis adscripti, morbosa haec fit mutatio; ex quo nomen secale et cornutum, quod semina degenerata ad calcaris vel cornu similitudinem accedunt. Inter nomina: calcar, clavus (denominatio minus frumenti morbum respicit), clavus secalinus, clavus siliginis, mater secalis, orga, sclerotium clavus, secale clavatum, s. corniculatum, s. luxurians, s. temulentum, s. turgidum, s. (propter vim in uterum jam diu notam) uterinum, significationis discrimen nullum interest. Alia ab aliis secali cornuto tributa nomina, quae Keyl et Robert ex ordine retulerunt, modo ab efficacia, modo a forma, modo a degeneratione petita sunt.

Licet secale cornutum veteribus scriptoribus cognitum fuisse constet, tamen, quae est Roberti sententia, loca et in libris sacris et illa, quibus Virgilius, Ovidius, Columella, Plinius et alii secalis cornuti mentionem faciunt, fortasse magis ad uredinem, rubiginem et melliginem spectent; clarius demum descripserunt Caspar Bauhinus, Wendelius Thalius, Schwenkfeld. (2)

---

(1) Fere triginta enumerantur (conf. Keyl l. c. et Lorinser, Versuche und Beobachtungen über die Wirkung des Mutterkorns etc. pag. 1.)

(2) Theriotrophaeum Silesiae. Lignit. 1604.

Numerus deformium seminum, quae quidem nunquam corrupta in eadem sunt spica, crescere potest a 3 usque ad 10 et ultra (1); quo sunt majora ista semina, eo minorem exhibent numerum, et vice versa, quo minora, existunt eo crebriora; plerumque longitudo a 6 usque ad 8, et amplitudo a 2 usque ad 3 extenditur lineas, quamquam saepe semina aequiparant integra. Magis nascuntur in solo pingui quam in arido, frequentius reperiuntur in locis humilibus ventorum carentibus perflatu, in pratis profundioribus, in secali aestivo; ceterum diligenter terram irrigando procreantur.

In describendis externis secalis cornuti proprietatibus auctores maximam consentiunt partem. Est autem secale cornutum in statu plane evoluto forma fere cylindrica, altero latere convexa, altero concava, ferme semilunari, rarius lineari; media pars plerumque crassior est, utraque extremitas attenuata, nunc obtusa, nunc acuminata, apex quasi praemorsus, externa facies aspera, salebrosa, locis exesis, pulverem fuscum continentibus obsita apparent; duo, tres (rarius plures) sulci, punctulis albis, farinaceis distincti pulvereque tenui subfusco conspersi, marginibus notati obtusis, elevatioribus, ab una ad alteram decurrunt extremitatem. Epidermis aspera est, paulum salebrosa (microscopio submissa reticularis, cellulosa), tenax, coriacea, crassitie inaequali, pulvere violaceo, vel subfusco, vel albo conspersa. Interne secale cornutum colore subalbido ex rara constans tela cellulosa, quae si ambitum respicis, minor et densior apparet et sub microscopio corpuscula praebet splendentia, amylo similia.

---

(1) Secundum T e s s i e r: Mémoire sur la Sologne I. 61, gregatim enascuntur et interdum ita multiplicantur, ut vel interdum octava vel quarta, quin etiam dimidia totius messis pars haud raro corrumpatur.

Semina recentia mollia ac paululum flexilia, vetera duriuscula nec perfringuntur nisi amygdalarum instar strepitu aliquo. In pulverem redactum s. c. ex rubido canescit, male olet, subtile tritum foetidum, fastidiosum de se fundit odorem, quem Villeneuve (1) tantum refutat; sapor est injucundus, acer acidus, nec non nauseam excitat; soli saporem negant Nebel (2), Zimmermann (3) et Trommsdorff (4). Incensum secale cornutum flamma flagranti comburitur, aëri expositum recens semen subito exsiccatur, corrugatur, leve evadit natatque in aqua aliquamdiu, sed paulo post fundum petit et aqua illa ex rubro violaceum accipit colorem, et praeterlapsis 16 aut 24 horis cuticulam sebaceam, male olentem praebet; nec praetermittendum integrum semen majus aqua tumescere quam corruptum.

Massa si paratur farinacea, non in unum cohaeret neque fermentat, et panis ipse coctus ex coeruleo canescit vel nigrescit, odorem edens ingratum, saporem austerum et nauseabundum, saponaceum et aquosum.

Opinio, incorrupta semina haud intemerata manere, si simul cum secali cornuto in eundem sulcum condantur, penitus est rejicienda, namque permulta docent experimenta, s. c. in integra semina vim non exercere nocentem; s. c. omnino non alit germina. Plenk, Wildenow, alii malignum et benignum perhibent, hoc album esse intus, sine ullo sapore et odore, illud vero odore imbutum infesto, colore coeruleo, sordide flavescens. Quid autem aliud interest inter seminis

---

(1) Neue Samml. auserlesener Abhandl. für prakt. Aerzte. Bd. XI. St. 3.

(2) De secali cornuto ejusque noxis, Gissae 1777.

(3) Von der Erfahrung. T. II. pag. 242.

(4) Neues Journal der Pharmacie. B. 11. St. I. pag. 94.

corrupti malignitatem et benignitatem nisi initium, incrementum et acme corruptionis?

Genesin secalis cornuti si respexeris, permagnam reperies auctorum dissensionem.

Nonnulli ponunt causam in profluviis, melligine et assiduis imbribus inimicis. Zuckert (1), Tessier (2) in communi quadam aëris, solis et terrae efficacia inimica, qua status gignatur morbosus seminum secalis cerealis. Simili modo Robert secalis cornuti creationem ad inimicam et aëris et terrae efficaciam pertinere existimat atque naturam ejus maxime in deformitate seminis quadam cerni, quae sit referenda ad turbatam naturalem constitutionem et nutritionem. Cujus sententiae argumentum hoc est, quod artificio secale cornutum gignitur, si humida atque calida tempestate in pingue solum secale cereale transfertur et postea diligentius irrigatur. Nascendi rationem autem hypothetico quodam modo ita explanare vult: Morborum enim causas pertinere dicit ad humidum aërem, ad calorem, ad pingue udumque solum, ad loca flatu interclusa, ad abundantiam denique humorum nutritiorum male subactorum. Quibus conditionibus eo planta adigitur, ut interrupto vitae processu jam ad summam functionem, semen gignendi, nequeat pervenire. Vasa enim succis nutritiis uberius expleta ita expanduntur; contractilitate ita privantur, ut decedat facultas externas propellendi injurias, nec non humorum secretionem et excretionem invadat lentor functionum, denique impotentia atque interitus. Quibus de causis fit, ut planta, reproductiva vi vehementer turbata et

---

(1) Allgemeine Abhandlung von den Nahrungsmitteln. Berlin 1775 pag. 98.

(2) Traité des maladies des grains. Paris 1783.

maturescentis seminis tempore a naturae statu devocata, tuber pro semine, pro normali mixtione dyscrasiam exhibeat. Inde Robert hunc morbum, in quo clavi causam esse putat, in aberratione nisus formativi vegetabilis et alienatione lymphae plasticae ponit.

Multi contendunt secale cornutum gallarum instar (ut Ginnani (1) fert opinio) gigni ex puncto ab insectis facto, praecipue a scarabaeo solstitiali, quem genitorem habendum etiam censet Lentinus (2), quod pluviosa anni tempestate greges spicas ex toto oppugnent, quo e seminum plagis egrediatur humor lacteus, qui aëre inspissatus et nigrescens, secale cornutum fingat. Martien Field (3) in America, glumas secalis cerealis a muscis qnibusdam laedi quum saepe videret, ipse glumas acu pupugit, quo facto succus effluxit et punctura nonnullis post diebus punctulum praebuit nigrum, quod sensim sensimque in secale cornutum mutabatur. Ab insectorum punctura originem etiam deduxerunt de Geer (4), Schreber (5), Linné, Ray, Needham, Buffon, Gleditsch, Tillet (6), qui in secali cornuto larvas reperit, quas in papiliones vidit mutari; hoc ductus e papilionum ovulis in secalis cerealis seminibus depositis larvas emergere censuit, quibus evolutio et maturatio seminis ita depraventur, ut secale cornutum in conspectum ve-

---

(1) Diction. Encyclop. T. XII. Edit. de Geneve.

(2) Neues Hannöv. Magazin. 1804 I- pag. 1.

(3) Annals of philosoph. XI, 14.

(4) Abhandl. der Schwed. Acad. der Wissenschaft. T. VI.

(5) Oekonom. Schriften. Tom. XII. pag. 481. et Tom. XIV. pag. 362.

(6) Dissertation sur la cause, qui corrompe et noircit les grains etc, Bordeaux 1775.

niat; Réad (1) judicat illis papilionibus humorem inesse, qui fermentatione ingressa deformitatem istam seminum advocet.

Roessig (2) perturbationem damniferam oeconomiae totius plantae internae causam esse docet, Hube (3) nimiam quantitatem et spissitudinem succi nutritii, quibus seminum efficiatur cachexia; Aymen (4) in foecundatione intermissa, seu coitu partium sexualium intercepto causam occasionalem collocat.

Alii scriptores, praecipue temporis recentioris, secale cornutum fungum habent, alii morbosum ovarii statum. In illorum sententiam, qui dicunt fungum esse, imprimis abeunt de Candolle, Wiggers, Leveillé, Fries, Baudelocque, Nees ab Esenbeck jun. Candolle, qui illum fungum sclerotium clavum vocat, eo maxime argumento nititur, quod facultates physicae secalis cornuti consentiant cum generis sclerotii, et evolutionis modus idem fere sit, qui apud fungum cernatur, quocum etiam congruant venenatae facultates. Wiggers latius procedens secalis cornuti chemicas qualitates maximam partem easdem esse, quas fungini dicit, et pollen albidum (sporidia), quod saepe in superficie appareat, cum aliis etiam plantis eundem morbum communicare posse. Leveillé cum naturam secalis cornuti diligentius disquireret, in germine nondum evoluto fungulum gigni invenit, qui ab ipso sphacelia segetum nominatur, a Fries spermoedia clavus; apparere eum autem sicut

---

(1) Traité sur le siegle ergoté. Strasbourg 1771.

(2) Abhandlung über das Mutterkorn. Leipzig 1783.

(3) Der Landwirth. T. VI. pag. 493.

(4) Sur les maladies des blés. Mémoire de mathematique et de physique. T. III. et IV.

massam mollem, tenacem, in initio fere fluidam, plicatam, irregularem, paene membranaceam cum globosis, dispersis sporis in germine, quod ex initio tamquam punctulum nigrum in conspectum veniat, et quod, ut verisimile fiat, aëre atmosphaerico privatum morbose ac velociter evolvatur, et egressum fines naturales formae et expansionis e gluma promineat et interdum fungum, illum statum morbosum provocantem, sicut parvum luridoflavescens capitulum secum habeat. Nees ab Esenbeck de genere judicat esse ustilaginem sporis in speciem stromatis seu receptaculi connatis, itaque quum ustilaginibus conveniat, inter exanthemata plantarum esse ponendum. Neutiquam autem, ait, errare videntur, qui et morbi exanthematici eruptionem simulque et fungum sui generis esse censeant. Quem secundum virum si originem spectas fungi, albuminis habes aegrotantis luxuriem, qua efficiatur, ut cellulae, dissoluto nexu organico, in vesiculas discedant liberas. Quae vesiculae, quum singulae plantarum cellulae vis vitae propria tributa sit, in sporas seu rectius perisporia caeomatis abeunt, conglutinantur, sistuntque caeomates stromatici speciem. Haec autem dum exsiccatur, sclerotii formam et indolem induit.

Cui tamen placito id opponi posse videtur, secale cornutum a sclerotio eo maxime distare, quod farinaceam habet externae membranae qualitatem, quod substantia facile in micas dilabitur et a planta non difficulter dissecatur; ceterum si Vauquelin sequamur, intercedit praeterea chemica quaedam differentia. Quibus moti botanici permulti temporis recentissimi secale cornutum morbosum secalis cerealis statum putant. Itaque Desgranges vitium primae conformationis esse dicit, molam esse, in qua vis naturae formativa viam quandam singularem sit ingressa, et tum in mixtione, tum in

forma proprium procreaverit productum. Neque minus secundum Fée secale cornutum proprius fungus est, sed degeneratio secalis cerealis, continere id nec thecas nec sporas, sed deformata amyli granula, atque externum habitum a caryopsis pericarpio formari, cujus tela cellulosa sphacelosa facta sit, censet. Neque ille in Aecidio cornuto et cancellato Pers. thecas invenit, unde conclusionem facit, adnumeranda ea esse classi pathologicarum foliorum affectionum, in quarum quidem genesi insecta vim nullam exerceant. Tanta hypothesium abundantia quis est, qui hanc rem sane confessam et exploratam habeat. His igitur variorum auctorum sententiis meam ipsius opinionem, nisam inquisitionibus novissimis, brevibus addere liceat. Est autem secale cornutum morbus ovarii, qui saepe occurrit in multis Gramineis et nonnullis Cyperoideis. Gramen dum maturescit singula inflorescentiae ovaria non modo non fructum normalem formant, sed etiam crescunt ad majus, irregulare corpus nigrescentis coloris. Cui sententiae disquisitiones favent, quas accuratissime longum per tempus instituebat Meyen. Evolutio secalis cornuti initium capit jam a prima albuminis in semine praesentia. Pro magnis cellulis amylo impletis minores enascuntur, quae vehementer multiplicantur. Velamenta ovi et pericarpium ab imo delentur, cujus parietes cellularum aut dirumpuntur, aut in magna spatia ita distrahuntur, ut aliena in lucem procedat luxuries. Semen degeneratum hac re ex nigro violaceum in superficie sumit colorem, dum massa interna plus minusve colore non afficitur. Violacea autem superficies obtegitur filis parvis, breviter ramificatis, fungosis, quae a summis stratis cellulosis aegrotantis albuminis luxuriei proficiscuntur. Quae disfibulatione abeunt in oblonga, sporiformia corpora, quae decidunt et nova iterum alunt fila, ut luxu-

ries superficiei velociter et uberius augeatur. In pericarpii apice occurrit adiposa cuticula, quae tota e multis sporis gelatina conglutinatis constat et serius decidit.

DE SECALIS CORNUTI ANALYSI CHEMICA.

LITERATURA.

Annal. d. Pharmacie. 1832.

Behrend's Repertoir 1836. Bd. I. No. 26.

Dierbach, Neueste Entdeckungen in der Materia medica. 1828.

John, Chemische Tabellen der Pflanzenanalysen.

Rust's Magazin Bd. XXV. Heft. 1. pag. 41 — 49.

Sobernheim, Handbuch der praktischen Arzneimittellehre. Berlin 1842. Th. II. pag. 50.

Thenard, Traité de Chemie expérimentale, théorique et pratique. Paris 1821. Tom. III.

Wiggers, Inquisitio in secale cornutum. 1838.

Praeterea jam nominatae Dissertationes auct. Keyl et Padiera, etc.

Chemice secalis cornuti experimenta inter recentiores potissimum instituerunt Vauquelin (1), Bonvoisin (2), Pettenkofer (3), Keyl, Robert, Wiggers, Charles Hocker (4).

Partes autem principes, quas obtinuerunt, sunt:

Ergotinum, alcaloidum secundum Wiggers principium agens secalis cornuti (cui rei inter alios imprimis Cheval-

(1) Buchners Repertor. d. Pharmacie. T. III.

(2) Gehlens Journal der Chemie. T. VI. 1806.

(3) Buchners Repert. l. c.

(4) Boston Journal. Vol. 10. No. 19. Schmidts Jahrbücher 1835. Bd. 8. pag. 8.

lier repugnat), pulvis ex rubro fuscus, in calore peculiarem odorem aromaticum spargens, saporis peramari, aromatici, in aqua non solubile, rubore autem eam tingens, parva tantum ex parte in aethere, optime autem alcohole dissolubile. Solutione fusca alkoholisata acido hydrocyanico calore praecipitatur albido. — Parvis dosibus datum in animalibus efficit vehementissimos internos dolores, ardentem sitim, extremitates refrigescentes, denique mortem ex convulsionibus; grana jam novem, quae respondent unciae uni et dimidiae secalis cornuti, gallum trucidarunt.

Oleum peculiare aethere extrahendum (pari fere modo quo oleum filicis maris). Est autem coloris expers, aut leviter ex rubro fuscum, sapore oleoso, subacri, ingrato, dulciculo, odore non valde secalis cerealis dissimili, attamen gratiore. Aestu subito fit empyreumaticum, colorem accipiens nigrum. Alcohole, aethere, alcohole sulphuris dissolubile, nec non oleis aethereis, creosoto, ammoniaco. Wrigth, qui ne ullo verbo quidem ergotini mentionem facit, hoc in oleo principium agens ponit, Charles Hooker etiam principium narcoticum ei tantum adscribendum esse contendit, quam confirmarunt sententiam Moore, Beers, Lyman Parker. Dosi gutt. 30 — 75 effectus ergotismi vulgo observati in conspectum venire dicuntur; at alii, ut Strumpf, Brach, Neumann, has observationes errori tribuunt, et alias explicandi rationes ergotismi interponunt, hasque vires inimicas, quum multis experimentis et observationibus diligentibus non viderent approbatas, non posse oleo tantum adscribi, neque ea, quae observata sint, exempla tam frequentia occurrere, ut ex iis res plane dijudicari possit, contendunt. Praeterea funginnm, osmazomum; prouti secale cornutum saccharo et amylo caret, gluten ejus mutatum est.

Morphium, et acidum hydrocyanicum, a cujus indole sola virulenta deducebatur facultas, morbum proferendi cerealem, Keyl, qui secalis cornuti saepius repetitam instituit analysin chemicam, detegere non potuit. Winkler acidum quidem obtinuit, naturam autem ejus clarius explanare non potuit, acidi vero hydrocyanici indolem prodidisse negat. Battley acidum a se in secali cornuto detectum acidum muriaticum esse vult. Maass et Wiggers aqua obtinuerunt destillatum e secali cornuto, naturam et indolem referens ammoniacalem, odorem spirans nauseosum, valde ingratum, capitis inducens temulentiam. Secundum Bonvoisini observationes secale cornutum, si cum aqua mixtum aëri exponebatur gradu 15 — 18 scalae R., odorem edens ingratissimum, nauseosum in putredinem tempore brevissimo abiit; sin miscebatur cum aequalibus et carnis vitulinae et aquae portionibus jam decem horis post putredo spuma et intolerabili odore apparuit, duo de quinquaginta autem horis interjectis putredo ad summum gradum processit, aqua et farina triticea admixtis non minus rapide putruit. De his omnibus vim secalis cornuti colligit Bonvoisin organismo eo modo damniferam, ut sphacelum humidum et siccum omniumque partium dissolutionem efficiat; inde et declaranda forsan est natura raphaniae ad putrescentiam propensa, praesertim cum ea facultatibus secalis cornuti, quod attinet potentiam et effectum, inhaereat.

In universum quod de chemicis secalis cornuti facultatibus contenditur tam parum enucleatum est, ut neque de salutaribus, neque de damniferis effectibus certi quidquam inde concludi posse videatur; sunt potius conjecturae, experimentis et observationibus ad majorem quandam stabilitatem perducendae, quippe cum chemica cornuti secalis analysis ma-

gnam partem obscuritate laboret. Vix est verisimile, secalis cornuti effectum narcoticum altera in parte, in altera dolores ad partum accelerandi et uterum contrahendi, diversis duabus partibus constituentibus assignandum esse; contra verisimilitudinem sequi videtur, minimarum fibrillarum muscularium vibrationem a principio cornuti secalis narcotico proficisci, sive inest in ergotino, sive in oleo ex rubro fusco secundum Charles Hooker.

DE SECALIS CORNUTI VIRIBUS ET BESTIAE ET HOMINI NOCENTIBUS.

LITERATURA.

Abhandlung über die Gifte von Robert Christison in Edinburg. Weimar 1831.

Baldinger's Magazin. St. IV. pag. 332.

Bernhard, Diss. de myrmeciasi. Berolini 1843.

Brach, in Medic. Zeits. von dem Vereine für Heilkunde in Preussen. 8. Jahrg. No. 38.

Brandes Archiv. Bd. 2. Heft 2.

Casper, medicin. Wochensch. 1834. pag. 721.

Frank P., System d. med. Polizey. Bd. III. pag. 223.

Froriep, Notizen aus dem Gebiete der Heilkunde 1823. 1824. 1831.

Heckers Jahrb. der Staatsarzneik. Bd. I. T. II. pag. 420. — Geschichte der neuern Heilkunde p. 317 sqq. — Annalen 1830. 1831 et alib.

Lorinser, Versuche und Beobachtungen über die Wirkung des Mutterkorns auf den menschl. und thier. Körper. Berlin 1824.

Remer, Lehrbuch d. polizeylich-gerichtlichen Chemie. Bd. II. pag. 791. sqq.

Schmidt, Encyclop. d. gesammten Medicin. Leipzig 1842 Bd. IV. pag. 668. sqq. pag. 301. sqq.
Schmidt's Jahrb. 1835. Bd. 8. pag. 8. sqq.

Perdiu ambigebatur, num secale cornutum ullam in animalem organismum vim exerceret, aliis annumerandum venenis vehementissimis, aliis ne ullam quidem id habere noxam putantibus. Quocirca et nuperrime ad dubitatam vim cognoscendam experimenta et in bestiis et in hominibus permulta facta sunt. Bestiae sanae, quibus s. c. pascendum dederant, post aliquot dies timidae abortum patiebantur atque incedebant nutantes, abdomine tumescente, duro atque livido, extremitatibus incensis, quae postea frigidae reddebantur, lividae, fuscae partimque paralyticae; ex auribus et oculis fluebat sanies, alvus obstructa, mors cum convulsionibus inferebatur; sectione facta organa abdominalia apparebant incensa et passim signa sphaceli. Omnino secalis cornuti victu convulsiones, paralysis, gangraena, voracitas, obstructio alvi, abortus excitabantur; abortus una cum illato secali cornuto fiat non necesse est, sed id potius in causa esse videtur, quod iteratis dosibus contractiones uteri creberrimae fiunt, ut fructus emoriatur denique atque utero relaxato protrudatur. Hominibus secalis cornuti minores aliquot granorum doses primo nihil, tum suscitant cibi fastidium, cephalalgiam, motus febriles; perfacile irritabiles paulo post sentiunt nauseam, quam paulatim vomitus sequitur, alios vexant diarrhoeae; sed quiqui morbo corripiuntur, omnibus serius alvus est obstructa, minimusque remanet sapor; omnes laborant lassitudine gravique algore, quibus per aliquot dies occupati tenentur aegrotantes, pulsu nonnunquam 49 tantum ictus per minutam edente. Inter corporis languorem undique sudor per cutem gelidam erumpit, qui tamen diarrhoea apparente non perdu-

rat. Si largiores doses unius circiter drachmae tribuuntur, ardoris sensus injicitur, oppressio anxietasque in regione praecordiali, cardialgia atque etiam inflammatio canalis intestinalis, pulsus frequens suscitantur, febris, calor fluitans algoribus intermixtus, facies rubra, cephalalgia, vertigo, somnolentia, deliria levia, pupilla distracta, spasmi, sitis, collum siccum, nausea, vomitus, salivatio, interdum diarrhoea aegrotos sublevans cum excrementis foetidis. Praesertim systema uterinum irritatur, et utero gravido vehementissimae intrant contractiones vel haemorrhagiae. Mueller Sedinensis secale cornutum vehemens putat abortivum, Dietz (1) nominat abortivum irritans, Chaussier nocere ac perniciem inferre censet, quum Lachapelle ullam vim exercere negat; Hossack idem appellat pulverem ad mortem pro pulvere ad partum (2); contra alii id existimant remedium abortus, praesertim quum ob uteri vel totius constitutionis laxitatem, turbationibus ac laesionibus non vehementissimis abortum fieri metuendum sit. At Remer ait: Schwerlich wird es je zu einem absichtlichen Giftmorde gebraucht werden, aber desto gefährlichere, ja sogar zufällig tödtlich werdende Wirkungen kann es als Abortivum hervorbringen, seitdem seine eigenthümliche Wirkung auf die weiblichen Geschlechtstheile, und insbesondere auf die schwangere Gebärmutter den Aerzten uud dem grösseren Haufen bekannt geworden sind. Hall (3) tantum abest, ut se prioribus graviditatis periodis abortum posse secali cornuto efficere dicat, ut sanguinis profluvium desinere

---

(1) Versuche über die Wirkungen des Mutterkorns, gekrönte Preisschriften. Tübingen 1832.

(2) Rust, Krit. Repert. Bd. XII. Hft. 1. pag. 177.

(3) Frorieps Notizen Bd. XV. No. 14. pag. 217.

fractumque solito prorsus excoli profiteatur. Secale cornutum autem, quum contractiones illae fructum protrudere non modo non studeant, sed opponant sese, vix forsan idoneum existat abortivum, minimeque directa hac vi utatur. Fieri autem potest, ut uterus contractiones patiatur cum noxa vel morte infantis, quin etiam impetu acerrimo dirumpatur atque a fundo vaginae removeatur.

Jam quaeritur, cui secalis cornuti elemento ista vis nocendi assignanda sit, et hoc elementum num quavis conditione omnibusque tempestatibus reperiatur; nescio enim, quo modo alio ista sententiarum discrepantia compensari possit. Quod Brach expertus est, vis narcotica acris, quae cum vehementes in abdomine dolores, tum simul omnia raphaniae symptomata commovet, non quovis anni spatio nec ubique observatur. Nimirum quod secale cornutum, ut jam dictum, annis tantum plumiosis in agris humidis semento paene carentibus uberrime progignitur, atque turbida tantum pluviaque tempestate vim sibi conservat, quam magna siccitate amittit, et quod frumentum ut est humidum, quum demessum in culmis denuo germina ducere soleat, huc illuc transferendum est, non sine maximo incommodo. Quibuscum consentit Kluge, qui id tantum secale, quod ante messem collatum minore solis aestu laborasset, ista vi uti nociva animadvertit. Eandem potestatem secale cornutum, quamvis messis sit tempore collectum, servare videtur, si inter ipsam messem tempestas est turbida et humida. Sed non minoris quam colligendi tempus momenti est modus quo, ac spatium, per quod seponitur. Ryan annotat secale cornutum in vasis vitreis bene reconditum unum ad duos annos vim retinere, contra aëri expositum pulverem reddi invalidum. Item lucis calorisque noxa vim secalis cornuti post messem collati minuere potest.

Charles Hooker imperium nocivum uni oleo adscribit, licet quidem infantis corpori putorem injiciat, non tamen contractionum uteri minimum evadere effectum, sed solum s. c. oleo illo privatum optime dolores ad partum excitare et partum ipsum accelerare. Cui Hookerianae opinioni multa opponi posse videantur. Si concedas etiam infantes, secali cornuto, vel potius ejus oleo matri dato, cum imbecillitate atque asphyxia in lucem proferri, faciem praebentes lividam, respiratione retenta, et omnino tales esse, quales editos asphycticos partu difficili; spasticas tamen contractiones, quae quidem ceteroquin secalis cornuti usum sequantur, nunquam observes, omnes casus, quos patiatur infans nocivos, non oleo subjungas, sed cum iis consentire debeas forsan, qui longae exitiosaeque infantis in genitalibus commorationi istos assignandos dicunt. Idem sensit Neumann (1) dicens: »Quod de infantibus, qui post secalis cornuti usum obtusi atque asphyctici parti sunt, fabulantur, monstruosum est. Si secale cornutum justo tempore, quo virium matris fractarum causa orificio patente dolores ad partum desierunt, tribuitur, partus, nullo impedimento mechanico, certe hora exacta sequitur. Tum, dii immortales, secale cornutum narcotice infantem affecisse alucinantur! Certo quidem infantes, capite diu oppresso, aut funiculo umbilicali circumcincto, sunt asphyctici, sed minime efficientia secalis cornuti«. — Ipse putor cutis et exanthemata aliis causis tribuenda sunt. Si oleum nullius est effectus, infanti in genitalibus coarctato diutius morandum est (id quod de pulvere celeriter ac certo efficaci non timendum, et qua ratione hic fiat asphycticus, jam facilius explicari pot-

---

(1) Bemerkungen über die gebräuchlichsten Arzneimittel. pag. 218.

est. Si autem oleum vim quandam exercet, non solum spasticis contractionibus repressis putorem effici putandum, sed efficientiae etiam universitas quaedam lataque extensio concedenda est. Itaque observationes, quae Hookerianae sententiae suffragantur partim errori non eximantur; eas quidem, licet Moor, Beers, Lyman Parker pulveris vim agnoverint, prorsus dijudicare ob ipsarum paucitatem non liceat.

Sed constat, medicamentarios adigendos esse, ut s. c. inter Jun. d. 25 et Jul. d. 10 colligatur, nec, quum reservatum vim amittat, priusquam usus poscat, in pulverem conteratur (Neumann).

Restat nunc, ut de raphania loquar.

Raphania, Kriebelkrankheit, Kornstaupe, Krummer Jammer, morbus cerealis, necrosis ustilaginea, convulsio cerealis, necrosis cerealis, morbus St. Antonii, Ergotisme quamvis antiquissimis jam temporibus ut morbus sporadicus cognita fuerit, singularis tamen ejus descriptio ad nos non pervenit. Sexto decimo demum saeculo raphania observata et copiosius exposita est. Caspar Schwenkfeldius, medicus silesius, epidemiae istius, quam annis 1587 et 1592 observabat, causam censuit frumentum in saltibus cultum, quod grandine ac venenata manna quum omnibus hominibus, tum praecipue senibus et parvulis, pane inde cocto fruitis, spasmos atque inflexiones excitaret. Accuratius observarunt professores medici Marburgenses. Quae videbant, erant vehemens pruritus et formicatio in cute, dolores, convulsiones spasmique certo tempore repetiti, frigus aut calor, vomituritiones, somnolentia, torpor, furor et impetu remisso vehementissima cibi cupiditas. Morbus quum homines sibi vicinos corriperet, contagiosus putatus est. Convalescentes susurro aurium, dysecoia, amblyopia, paralysi etc. vexari solebant. In aliquot aegrotorum ar-

tubus nascebantur magni tumores, qui patefacti ingentem saniei multitudinem sine molestiarum levatione profundebant. Raphania, Francogalliam et Helvetiam peragrans, insignis fuit spasmo extremitatum, ita ut singuli artus subito frigescerent ac livescerent et postremo sensus plane expertes, nigri deciderent. In Germania praecipue symptomata spasmodica comparebant, epilepsia. Annis 1710 et 1723 morbus iterum Silesiam peragravit; etiam in Saxonia, Lusatia (1), maris Baltici littoribus (2) exstitit maxime insignis contractionibus artuum, spasmis epilepticis, lassitudine, sopore, mania; interdum obvia erat diarrhoea, febris sub finem intrabat; imprimis vero agricolae, piscatores et navigatores morbo corripiebantur. Anno 1726 denuo Silesiam infestavit, id quod optime descripsit Scrinc (3). Annis 1741—1744 morbus epidemius grassatus est in Guestphalia (4). Quinque interjectis annis in Suecia paulo post messem plebem corripuit (5). Anno 1754 circa Postampium percrebruit, cujus causam Cotenius declaravit secale cornutum (6). Idem censuit Bergius (7), qui raphaniam in Smaeland et Bleekingen ortam conspexit. Maximi ad morbi historiam momenti sunt, quae Salerne (8)

---

(1) Vater, observationes selectae de morbo spasmodico silesiaco. Viteb. 1723.

(2) Quo modo istic apparuerit, a Muellero explanatum est.

(3) Satyr. med. Siles. Spec. IV. Observ. V. pag. 35.

(4) Brückmann, relatio de clavis secalinis etc. in Comment. litter. Norimb. 1743 hbd. VII. N. 3.

(5) Rosén ab Rosenstein, diss. de morbo spasmodico convulsivo epidemico. Goth. 1749.

(6) Schrebers Sammlung verschiedener Schriften. Halle 1756. Th. II. pag. 413.

(7) Bergii diss. de epilepsia acuto — epidemica. Holm. 1756. Materia medica e regno vegetat. T. I. pag. 49 ob VI.

(8) Mémoir. de Math. et de Phys. de l'Acad. T. II. p. 155.

composuit. Aptissimae ad observandum fuerunt epidemiae, quae annis **1770** et **1771** complures Germaniae septentrionalis regiones permearunt, et quas descripserunt Wichmann (1), Vogel (2), Eschenbach (3), Baldinger (4) et copiosissime Taube (5). Recentiore tempore epidemiae sensim ac paulatim apparuerunt, nisi urgeas parvam epidemiam in Polonia anno **1805**, Postampii **1817** et in Francogallia longe lateque anno **1814** grassatam. Sporadicam observavit nuperrime Brach annis **1828, 1830, 1833, 1834.**

Quae de raphania monographice exstant, recolentes, monitu dignissima haec censemus:

Longe plurimi scriptores secale cornutum putant venenum, quod quamvis variis rebus efficacia mutetur, primariam tamen raphaniae causam esse arbitrantur: sic Baldinger, Bergius, Cothenius, Detharding, Dodart, J. P. Frank, Hecker, Knape, Lang, Longolius, Lorinser, Nebel, Orfila, Read, Rosenstein, Salerne, Tessier, Tissot, Wedel, Zimmermann.

Affirmantibus, multis in regionibus ne nomen quidem raphaniae cognitum esse, respondendum, fieri revera, ut ratio quarundam terrarum climatica procreationem secalis cornuti

(1) Beiträge zur Geschichte der Kriebelkrankheit im J. **1771.** Leipz. und Zelle.

(2) Schutzschrift für das Mutterkorn, als einer angeblichen Ursache der Kriebelkrankheit. Göttingen **1771.**

(3) Diss. de morbo convulsivo epidemico Germanorum etc. Duisberg **1771.**

(4) Programma ad dissert. de metastasi in morbis. Jenae **1771.**

(5) Geschichte der Kriebelkrankheit, besonders derjenigen, welche in den Jahren **1770** und **1771** in den Zellischen Gegenden gewüthet hat. Goettingen **1782.**

retardet, eaque maxime reprimat momenta, quae pestilentiam alere possint. Periculosam efficaciam idcirco refutare, quod in cadaveribus raphania mortuorum nulla veneni signa reperiantur, non plus valeat, quam hanc ob causam, quod morbus, quantumvis recenti secali cereali vesci vetitum sit, minime extinguatur.

Raphaniam antecedere solent hiemes mites, frigidae atque humidae aestates, annonae malae, crebra nebula multoque imbre insignes. Grassatur raphania maxime humidis annis, qui calorem alunt madidum ac continuos imbres fundunt, potius tamen humum in vallibus pressam densamque sibi eligit, quam colles arenosos. Mirandum quosdam raphaniae assignare contagionem (v. c. Selle, Marcard, Herrmann, Focken); quam inde colligunt, quod omnis deinceps familia hoc morbo afficiebatur neque excipiebantur ii, qui prorsus esca secali cornuto intermixta abstinuerant. Longe plurimis scriptoribus concedendum, qui nunquam contagiosum fuisse morbum dicunt. In plerisque epidemiarum narrationibus momenta quaedam occurrere solent, quae morbi causam et secali cornuto et aliis cosmicis telluricisque noxis adscribi permittant. Cujus rei exemplum afferri potest istius qui exstitit in Francogallia morbi memoria a Salerne composita, quae ostendit longe plurimos homines jam pridem aegrotasse in Sologne, quae provincia inter Carim et Ligerim sita multas lacunas amplectitur; humus ex arena lutoque constans quum fere semper inundetur, nihil aliud nisi plantas aquaticas et carices progignit, quocirca haec regio insaluberrimis adnumeranda. Ibi quum saepius messis evadat pessima ac fames oriatur, multi et inter homines et bestias morbi endemii grassantur.

Excellit raphania sensu quodam peculiari, quasi animal-

cula totum per corpus repant; contractiones spasticae in intoxicatione memoratu dignissimae sunt, at in raphania non rapide subitoque veneni efficacia vincitur, sed sensim ac paulatim veneficium per corpus procedit; cui veneficio vel ipse organismus sese opponere atque etiam veneno plus minusve adsuescere solet, vel aliae dispositiones aegrotae tempus ac vires sibi servant, quibus explicent sese atque cum veneno confligant; unde morbus diversississimas formas induit.

Suspicio, quam medici recentiores in antiquiores animadversiones colunt, atque opinio, qua secale cornutum non censeant venenum tam pestiferum, nescio an ex eo fluxisse videantur, quod inde ab anno 1772 non tanta raphaniae epidemia invaserit. Attamen L o r i n s e r et B r a c h satis exposuerunt, hunc morbum hic illic compluribus annis modo in majorem, modo in minorem hominum partem plus minusve infectum esse. Nostris quoque diebus, B r a c h inquit, ut raphaniam intueamur, oportet steriles egenasque regiones subeamus, humilia sordidaque domicilia, in quibus maxime ex rebus vegetabilibus panis male mundatus maleque coctus, nihil carnis exstat pro cibo vulgari. Quibus in regionibus etiamsi epidemia reprimatur, nonnunquam sporadice raphaniam incedere, undecim annis, quibus talia loca sterilissima pauperrimaque habitabam, decies animadvertere potui! Sedem autem morbo gratissimam quum medici fugiant utpote sibi ingratissimam, atque homines egeni medicum raro adhibeant, non est mirum, quod hic morbus aliorum ratione habita rarius observatus, et quod medicis clarissimis peritissimisque ipsis, qui urbes curant primarias, ubi multum quidem secale cornutum, sed nihil nisi dolores excitans ad partum consumitur, nunquam tamen raphaniam videndi ulla occasio oblata est.

Omnibus in raphaniae epidemiarum descriptionibus principem locum obtinent proprietates, quae in cosmicis primordiis, initio ipso, incremento, acme, decremento, moratoribus, denique in progressu ipsarum epidemiarum illis cum ceteris epidemiis communes sunt, et quae ex proxima tantum noxa minime exponi possunt. Quae modo dixi et id, quod secali cornuto, epidemiis istis conditionibus deficientibus, sine raphaniae periculo vescebantur, alteri parti adjumento subsunt; contra altera pars quum experientia, reputatione, observatione multorum et laude dignissimorum virorum, pui secalis cornuti vim exploraverint, nitatur, et rationalistae et empirici non possunt non concludere: eadem momenta, quae secalis cerealis morbum moveant, etiam homines in eodem loco ad raphaniam disponere, et licet homines quosdam majore resistendi facultate carentes, secali cornuto nequaquam usos morbus arripere possit, plerumque tamen etiam secale cornutum, tamquam causam proximam ad raphaniam prorsus proferendam necessario desiderari. Inde igitur tertium (cosmicum et telluricum) elementum vere epidemium sequitur, quo omnis sententiarum discrepantia et enodetur et componatur.

Quum jam secale cornutum et nocens, et in morbi causis numerandum esse constet, istius morbi symptomata persequi operae pretium esse videatur.

Symptomata primaria et quae in omnibus insunt raphaniae epidemiis, haec sunt memoranda; systema cerebrospinale affici solet omnibus, quae excogitari possunt, nervorum turbationibus; paralysis et necrosis singulorum artuum; turbationes gastricae una cum cibi appetentia atque etiam bulimia; solito febris non adest; sanguis maxime ad dissolutionem et putorem inclinat, comparent cachexiae et hydropsiae. Comparatio epidemiarum exhibet morbum praebentem nobis

symptomata, quae in quatuor series dividi possunt. (Siebert).

Prima series, exhibens praecipue symptomata nervorum.

Homines formicatione prurituque praegressis, contractionibus in flexoribus dolorificis afficiuntur, aut corripiuntur vertigine, sensibus tum prorsus tum partim orbati; interdum humi concidunt et tum articuli contrahuntur, nausea ac vehementissimae convulsiones accedunt. Interdum fit, ut aegrotantes incidant in stuporem, maniam, risum sardonicum, tetanum. Quam magnitudinem symptomata non semper assequuntur, quo in casu aegrotantes, antequam morbo corripiuntur, languore et gravitate et capitis et artuum laborant. Utut autem est forma, semper in abdomine et dorso frigoris sensus adest. Res si vertat pessime, aegroti moriuntur nervorum affectionibus vehementissimis, quae si minus rapidae sunt, membra octo vel decem per dies sentiendi facultate privata necrosi emoriuntur. Mitior forma, quae tribus quatuorve diebus ante sese indicat, symptomata nervorum edit per paroxysmos, quorum per diem unus vel plures discernuntur; inter hos quod interest intervallum inquietudine si male, si bene res cedit, somno profundo repletur. Quo sunt paroxysmi pertinaciores, eo pejor evadit prognosis.

Secunda series symptomatum gastricorum. Simul cum morbo invadente sentiuntur oppressio, anxietas et dolor in scrobiculo cordis et impetu acriore vomituritiones irritae, leniore impetu evomitur tenax et biliosus mucus. Lingua primum flava, tum fusca, interdum modo cruentus mucus modo spumosus super labia effunditur. Ipsae vomituritiones cibi appetentiam atque etiam bulimiam ac sitim semper vehementem non rejiciunt. In casibus gravioribus alvus, quamquam tenesmus frequens adest, non solvitur; in leviori-

bus magna muci copia tenesmo ejicitur, saepissime gignuntur intestinales vermes permulti.

Tertia series symptomatum sanguinis alienati. Sanguis quum a peripheria in centrum confluat, haec ipsa frigescit et flaccescit; mutatio sistitur, spiritus subfrigidus, urina parca guttatim secernitur nulla cum molestiarum levatione. Crasim sanguinis mutatam plane conjicere licet ex purgatione critica, quam adducunt furunculi, exanthemata, sudores foetidi cum desquamatione cutis in stadio reconvalescentiae; in stadio autem sequelarum nigrae sordidaeque maculae, sugillationes tanquam subfuscum, diffusum venarum rete corpus cingentes; in sanatione partiali crebrae cachexiae, oedema pedum et hydropsiae crasim mutatam sanguinis docent.

Series quarta affectionum totius organismi. Aegroti inquieti huc illuc sese jactant, corpus frigido sudore totum obtectum praebentes, facie pallida, collapsa praveque decomposita, pupilla dilatata; pulsus sunt parvi, rari, interdum remittentes, tactu vix percipiendi. Solet febris non adesse, nisi fortasse morbus in aliqua corporis parte inflammationem procreat, id quod praesertim in membris singulis plurimum evenit, quae erysipelas et necrosin secum trahit.

Raphania sporadica (intoxicatio secali cornuto producta absente elemento epidemio) sub forma chronica intrat.

Discrimen, quod inter hanc intercedit et acutam, quam depinximus, hoc est: decursus plurium hebdomadum, remissiones at intermissiones satis magnae; stadium prodromorum insigne symptomatibus gastricis et febrilibus una cum spasmis brevius durantibus, doloribus pungentibus et tendentibus et illo peculiari sensu formicationis, unde morbi denominatio. — Spasmi tonici et clonici, in quibus flexores valde praevalent

extensoribus, longius perdurant et vehementia crescunt. Magni est momenti, quod raphania sporadica non nisi morbo gastrico simul cum vertigine, raro cum spasmis, constituitur. Crises si fiunt, vehementibus secretionibus, vomitu ac diarrhoea res melius cedit, quam illorum retentione, quae spasmos internos, asthma, cardialgiam, colicas secum trahit.

Decursus et exitus.

Vehementissima, forma tetanica, grassatur horas viginti quatuor vel adeo tres dies, quos mors acerrimis convulsionibus insequi solet. Aegroti si revalescunt (id quod raro ac tarde fit) totos per menses pessimis cruciantur morbis secundariis, rigore artuum, paralysi, abscessibus, ulceribus, mania, dysecoïa, amaurosi, cachexiis, hydropibus, quos morbos nonnisi difficillime et semper cum corpore morbido labefactoque possunt effugere. Morbo in melius converso frequentes fiunt secretiones criticae, multi muci fluor cum magna mole vermium ietestinalium, sudores et exanthemata, vehementes ac saepius repetitae desquamationes, ulcera metastatica. Quae morbi symptomata licet sensim ac paulatim evanescere soleant, tamen non raro evenit, ut morbus celeriter dijudicetur praesertim in infantibus per tineam (1). Idem de forma mitiore acuta dici potest, semper spatium dierum saltem septem vel decem explente, in qua crises semper morbi magnitudini respondent.

Raphania chronica motuum criticorum defectu, per singulos menses voluta, paralysi terminatur, saepe pustulae gangraenosae provocant intumescentiam; exitui felici adnumeranda sunt jacens longum per tempus tactus organorum facultas sentiendi, contractiones inflexionesque ac singulorum

---

(1) Conf. Formey, exanthema hydrocephalo praegresso acuto.

artuum detrimentum per gangraenam. Hunc in gangraenam exitum praecipue medici Francogallici describunt, et quum Taube, Scrinc, Mueller, Haberkorn, Wichmann et alii nullibi hujus mentionem faciant, sententiae faveamus forsan necesse est, quam affert Hecker dicens, qua causa in Germania tantum raphania effecta sit, eadem in Francogallia tantummodo gangraenam artuum provocatam esse. Exitus autem in gangraenam enarratio exstat optima Jansoni (1), qui recentissimam anni 1814 epidemiam observavit.

Sectio (2).

Lentin et Taube in sectione haecce invenerunt. Corpus macie torridum, id quod maxime cernebatur in manibus. Digitorum apices erant curvati neque minus ungues. In cavitate cranii: ossa cranii durae matri solide accreta; omnia vasa sanguine valde impleta, et plexus choroideus sanguine abundans; in ventriculis multum humoris ejusdem aquei; forma cerebri non mutata, septum autem pellucidum marcidum, idem in nervis olfactoriis. Medulla oblongata et nervi, qui linguam et faciem petunt, molles, ac si macerati essent. In cavitate abdominis cavitate aperta odor valde putridus prodiit, quamquam homo ex biduo tantum mortuus erat. In omento ne vestigia quidem adipis, fuit colore fusco, putridum. Vasa peritonaei turgebant sanguine nigro. Intestina tenuia tumida et vacua, neque in iis, neque in crassis vermis apparebat. Ventriculus continebat ichorem putridum, ejusque pars interna laevis. In vesica fellea bilis, ichori sanguineo simillima. —

(1) Schmidt l. c. pag. 304,

(2) Dreyssig, Pathol. d. chron. Krankh. pag. 13.

In cadavere pueri, quatuordecim annos nati, tempore matutino defuncti et post meridiem secti, haecce aderant: facies flava, tumida, oculi subsidentes; epidermis totius abdominis jam putrescere inceperat. Ex ore et naribus effluxit mucus foetidus; in dorso, thorace et collo sugillationes. Intestina colore flavido, hepar durum et sanguine turgidum. In ventriculo aqua spumea biliosa et ascaris axanimis; splen fuscus et sanguine abundans: vesica urinaria et ipsi ureteres valde impleti urina aquosa, nullum odorem spargente. Cor et vasa majora vacua; pulmones sanguine turgebant, neque minus arteriae cerebri ejusdem tunicarum. In altero quodam cadavere eadem cernebantur.

Cura.

Ut morbus prohibeatur, sanum tantum integrumque secale pro cibo detur: abluatur secale aqua pura; remoto tum quod natat secali cereali, exsiccentur grana bona, priusquam molantur. Quum secale cornutum saepius ex natura humi progignatur, stipulae talibus in agris exurantur et tum in profundam terram condatur secale purum, integrum prorsus siccum. Morbo jam corpori defixo, causam depromere non sufficit, sed naturae studium, quo crisis efficere tentet, sequendum est. Emeticis et laxantibus curae fiat initium, donec largi alvi fluxus oriantur; tam cutis calidis balneis foveatur, unde provocatum exanthema saepius jam morbum praecedit; quod si minus contingit, provocentur exanthemata artificialia. Nervina et antispasmodica eo citius adhibenda sunt, quanto magis nervi sunt affecti, et quo magis decursus chronicus est: valeriana, asa foetida, castoreum, moschus, camphora, al. Opium, quod Pott, Janson magnis dosibus dedere, vix ob

molestias gastricas impendi potest. Copland (1) laudat oleum terebinthinae. Morbi charactere putrido aut colliquativo antiseptica sunt administranda. Hucusque reperta sunt efficacissima: tart. stibiat. usque ad gr. XXX, magn. sulphur., serpentaria, oleum Dippelii, vesicantia, balneae calidae; Phoebus (2) laudat aquam oxymur., alii acidum tannic. Paralyses topice curantur.

DE SECALIS CORNUTI VI ET EFFECTU IN VARIIS MORBIS CURANDIS.

LITTERATURA.

Busch, D. H. W., systematisches Repertorium de gesammten medicin. Literatur Deutschlauds 1829. H. 1 S. 109.

— — die geburtshilfliche Klinik etc, Erster Bericht. pag. 35

— — Lehrbuch der Geburtskunde, ein Leitfaden bei akadem. Vorlesung. etc. Berlin 1842. §. 424—533 et alib.

Canstatt, specielle Patholog. und Therap. 1842. Bd. III. pag. 448.

Geiger de secalis cornuti viribus medicatricibus. Monachii.

Gemeinsame deutsche Zeitschrift für Geburtskunde. Bd. II. H. 3 pag. 539. B. III. H. 2 pag. 301. B. V. H. 4. pag. 643. B. VII. H. 3 pag. 316.

Haese, C. S., de secali cornuto, ejusque vi in corpus humanum salubri et inimica. Berolini 1829.

Loeffler, A. F. vermischte Aufsätze und Beobachtungen

---

(1) The Lond. med. and. phys. Journal 1821. Vol. XLV.

(2) Anleitung zur ersten Hilfsleitung bei Vergiftungen. Stolb. a. H. 1840 (Cf. Spieler. Diss. de plant. ven. Siles. Vratisl. 1841.)

aus der Arzneikunst, Wundrarzneikunst, Geburtshilfe und gerichtlichen Arzneikunde. pag. 156.

Neumann, kritische Bemerkungen über die gebräuchlichsten Arzneimittel. 1840. pag. 218.

Richter, specielle Pathol. und Therap. Bd. 10. pag. 177 sqq.

Rust, Magazin für die gesammte Heilkunde. Bd. XXV. H. 1 pag. 104 sqq. H. 2 pag. 240—245. Bd. XXVI. H.2 pag. 338 388 sqq.

Rüsch, J. U., über das secale cornutum als ein die Geburtsthätigkeit erhöhendes Mittel. 1829.

Strumpf in: Encyclop, d. gesammt. Med. von Schmidt. Leipzip 2842. Bd. IV. pag. 670—671.

Praeterea confer. opera de materia medica auctor. Sobernheim pag. 50. Sundelin I. pag. 531, Wendt §. 333 et alib.

Ne omnia repetam, quae Robert (1), Voigtel (2) et alii de historia virium medicatricium secalis cornuti apposuerunt, brevibus complectar ea, quae sine vituperio omitti non possunt. Jam Caspar Bauhinus (3) secali cornuto remedio antihysterico usus est, simul ei vim adscribit stypticam, quum optimo eventu adhiberet in stillicidio sanguinis ex gingivis. Hoc certe constat, usum ejus non esse novum, et populo longum per tempus sub nomine pulveris parturientis cognitum fuisse, testibus Henrichsen in Magno Ducatu Megalopolitano, Pitschaft in Polonia, Schütte ad Rhenum,

(1) Comentationes in s. c. historiam med.

(2) Ueber die Anwendung des Mutterkorns in der Geburtshilfe.

(3) Geoffroy in Tractatu de mater. med. T. II. p. 242 sqq.

Balardini in Italia, Desgangres Lugduni. Paulitzky affirmat in pharmacopolia Marburgensi pulverem parturientium' cujus majorem partem exhibuerit secale cornutum, jam longum per tempus venditum esse (1), et eundem pulverem in nonnullis Germaniae septentrionalis pharmacopoliis venalem fuisse dicit Robert. Inter antiquiores primus fuit medicus Camerarius, qui virtutes nostri remedii puerperales examinaret atque comprobaret (Voigtel). Inter recentiores Stearns, medicus Americae septentrionalis, anno 1807 pulveris parturientis nomine ejus mentionem fecit (2), quem mox secuti sunt Prescott (3), Bigelow (4), Atlee, Schalleross, Ives, alii. Paulo post fama secalis cornuti percrebruit per Angliam, Germaniam, Francogalliam et Italiam. Serius nonnulli, quum narcoticum effectum multis in casibus observarent, s. c. infamia notarunt, ita ut hodie adhuc in Anglia infamiam quandam habere videatur; medicorum Francogallicorum sententiae valde discrepant, Germani, qui non ita multa instituerunt experimenta, nonnullis tantum exceptis, s. c. laudibus efferunt. Robert affirmat, secale cornutum sibi fere semper vim dolores ad partum concitantem exhibuisse. Koeler, Elbingensis refert, se secali cornuto, ut dolores ad partum provocentur, per quinquennium optimo cum fructu uti, et consuete quinis granis adhibitis, se nunquam destitutum esse; at Henne (5) auctis

(1) Baldingers Magazin. Bd. IX. pag. 244.
(2) Medical Repository of Newyork. 1807.
(3) Medical and physical Journal. London 1814.
(4) New England Journal of medicine and Surgery. Vol. V. No. 2.
(5) Padiera l. c. pag. 31.

tantum ad drachmam dimidiam dosibus se effectum demum obtinuisse, Brunatti sibi ad forcipem confugiendum semper fuisse refert. Schneider (1) Fuldensis ad foeminam, per duodeviginti horas jam paturientem, arcessitus, situm infantis reperit normalem; molimina initio spastica, tum satis valida, ex toto cesserant, vel passim tantum blandissima apparebant, quibus caput non excuteretur pelvi. Spem igitur collocans in secali cornuto, quod rarissime effectu salutari destitui vidit, haec imperavit: Rp. secalis cornuti drachm. j infund. c. aq. ebull. q. s. colatur unc. iv. add. syrup. rub. Id unc.β Totam mixturam in tres portiones divisam hauriri jussit intra horam unam et dimidiam. Ingesta dosi secunda molimina invalescebant, tertia vero assumta, tantum impetrabant gradum, ut nisu continuo propelleretur foetus. Facies infantis coerulescebat, funiculo umbilicali circa collum sexies voluto, quo soluto protinus spiritum duxit beneque valuit. Omnibus autem, quae ex annalibus et diariis medicis atque obstetriciis passim hausi et didici, additis, quum hic libellus justos fines dissertationis transgressus esset, hos brevi respiciam morbos, in quibus praecipue hucusque secale cornutum in usum vocatum est.

I. Retardatio et haesitatio parturae, ex debilitate proficiscentes torpida, si dolores ad partum simul jam longius tempus perdurarunt, uteri orificium satis patet, labia ejus tactu mollia apparent atque foetus jam in pelvim minorem descendit; si nulla irritatio inflammatoria, nullum impedimentum mechanicum intercedunt, ac foetus normalem obti-

---

(1) Pad. pag. 31.

net situm; si vis vitalis vel haemorrhagia vel virium prostratione periclitatur; denique si dolores spastici et spastica foetus capitis in pelvim lapsi incarceratio partum retardant. Optimum effectum exhibet ac per se unum solet partum finire, si dolores ad partum debiles, etiam in decursu non ad normam evolvuntur, scilicet in muliere laxa constitutione praedita, minus irritabili, ubi simul spasmi uteri naturae conamini ad partum edendnm sunt impedimento; doloribus autem, quum inter primam partus periodum nimis exarserint, exhaustis, et in plethoricis individuis medicamentum minorem exserit efficaciam, quoniam qui ad partum finiendum postulantur; dolores validos non provocat, facta exhaustione fere nullos excitat dolores, ut nullo modo forcipem adhiberi non necesse sit. Mirum autem, quod ubi Kluge secali cornuto utebantur atque tum quoque, quum doloribus prostratis forceps inferretur necesse erat, neque inter quintam partus periodum nec post unquam haemorrhagia excitata sit, quae illo rerum statu non abesse solet. Ill. Busch energia uteri ac sensibilitate sublatis secale cornutum semper efficacissimum remedium cognovit; prorsus autem nullum vel contrarium sibi edidisse effectum affirmat utero spastico ac rheumatismo affecto, vel ante tertiam periodum hoc remedio adhibito. Neumann dolores ad partum spasticos et contractiones irregulares, quae orificium non amplectuntur, secali cornuto reprimi negat. Contra Brinckle convulsiones puerperales prospere se curasse ait, datis decem granis, quam dosin decem minutis post repetebat. Statim post priorem dosin convulsiones desiisse dicuntur, post alteram legitimi dolores intrasse, et hora interjecta dimidia partus factus esse; etiam Schütte secale cornutum, partu spasmis praepedito, cum utiillate adhibebat.

Placenta morante nonnisi summa cautione adhibeatur, quia placenta incarcerata et adhaesione ejus nimis firma, solutionem secundinarum centractionibus quas excitat vehementibus, etiam diutius retardet, quamvis his quoque casibus utero in parvis fibrillis et circa placentam contracto, haemorrhagiam reprimat.

II. Haemorrhagiae.

E secalis cornuti viribus, quibus actio singularum fibrarum earumque motus oscillans augetur, et praeterea tota organismi tela arctius contrahitur et conglomeratur quasi, maxime patet causa, cur secale cornutum haemorrhagias uteri, quibus atonia subest, optime sublevet. Haemorrhagias et ante et inter et post periodum partus quintam advenientes, nec minus eas, quae utero et gravido et libero accedunt, praecavet, neque has, quae post polypos uterinos intrant, non removet. Quibus sanandis Churchil, Guillemot, Bellivier, Negri, Récamier, Loewenhard, Ulsamer usi sunt. Atler et Schalleroff pulverem praecipue laudant ex opii granis tribus et secalis cornuti drachma una compositum decemque in partes distributum, quarum ternis horis una sumenda sit. Epistaxi et haemoptysi profusis, periodo organismi involutionis incidentibus, menses recipientibus Trousseau, Récamier, Steffens secale cornutum commendant; quibus in morbis praecipue Spajrani gr. 4 ad 6 binis vel ternis horis, magno autem rerum discrimine, gr. decem denis minutis prosperrimo cum successu porrigebat. Entorrhagiis et quidem statu paralytico vel putrido enatis Elliot s. c. collaudat.

III. Menostasiae.

Hic s. c. non aptum videtur, quoniam tela uteri non gravidi fibrae musculari, quippe quarum contractione et inter graviditatem et inter partum remedii virtus nititur, parum congruit (Brach). Hall et alii menses suppressos sese revocasse negant. Neumann secale cornutum cum ferro carbonico tantum conjunctum menostasiae et amenorrhoeae profuisse annotat, et num ferrum carbonicum per se praebitum idem efficiat, quod cum secali conjunctum, discernere sese posse infitiatur. Interdum tamen fausto successu in usum vocarunt Chapman, Levrat-Perroton, Rondak; qui idem in amenorrhoea praecipue magnis dosibus oblatum praestantissimum id comperit. Mulieri, per tres annos obstructione mensium laboranti, primum duae unciae integrae porrectae sunt, dein quatuor unciarum decoctum, quotidie plus uncia una. Aliam quandam drachmis quatuor sanam restituit, quas tantum cephalalgia, adauctus corporis calor et leves dolores in regione hypogastrica secuti sunt.

IV. Leucorrhoeae, inveteratae, torpidae utile sese praestitit testibus Trousseau, Hall, Dufresnoi in viginti, Negri in decem, Bazzoni in octo, Elliot in quinque, Steffens in quatuor casibus.

V. Retentiones cysticae.

His in morbis, si ex atonia fibrae muscularis pendent, aliquo cum successu vocetur in usum. Guersent contractilitate vesicae urinalis stimulata secretionem urinae effici ait, simulque fragmenta calculorum expelli, quae lithotripsia instituta restant.

VI. Nec minus diarrhoeis et obstructionibus, ex fibra musculari tubi intestinalis relaxata pendentibus idoneum videtur; in obstructionibus autem periculosum forsan existimandum propter principium narcoticum. Staud diarrhoeam chronicam cum macie, hypochondriasi et intumescentia oedematosa conjunctam sustulit, granis sex menstruationi restituendae porrectis; et quidem diarrhoeam ita se brevi sustulisse affirmat, ut laxantibus opus fuerit. —

VII. Spasmi et paralyses.

In paraplegia Ducros, Barbier, Pétrequin s. c. laudant, Bodenstab in chorea, qui primis jam dosibus porrectiis (ternis horis grana octo praescripsit) eventum faustum conspexit. Kochanowski sanat hoc remedio idiopathicam pupillae mydriasin, Frost ischuriam paralyticam.

VIII. Febres intermittentes.

Quibus meris quidem neque cum inflammatione quadam complicatis Baker, Festler, Mehlhausen s. c. commendant, Dotton cum laxantibus conjunctum, pulveremque usque drachm. dimid. in duas vel tres partes distributum, alternis horis porrectum, et quidem dosin postremam tunc, quando novum paroxysmum exspectare licet; maxima dosis erat scrupulorum duorum. Ex aegrotis viginti septem hacce curandi methodo viginti quatuor sanati sunt, morbusque hoc remedio adhibito non revertit.

Remedium dolores ad partum augens secale cornutum porrigunt granis quinque usque decem pro rata parte denis minutis ad horas integras. Lorenz et Glasow grana tria, singulis horis interpositis dosi paulatim adaucta sesquigrano

vel granis duobus, porrigebant, decem grana non supergressi sunt; Müller granis quinque usque ad decem utitur, et Hooker ad drachmam dimidiam progreditur, quae dosis quum successu destituta sit, alia etiam majori auxilium non latum iri quispiam existimet, quum potius Weil, Löwenhard scrupul. usque ad tres pro dosi et Henne drachm. dimid. bis vel ter singulis horis repetita, nec nausea nec vomitu effectis, uteri vires fere exhaustas iterum excitarent et doloribus ad partum stimulatis, partum ipsum ad finem bonum adducerent. Churchil praeservativo quasi eo utitur adversus haemorrhagiam post partum enascentem, drachma dimidia decem vel quindecim minutis ante partum exspectandum. Spajrani semper drachmam dimidiam dosin censet minimam in metrorrhagia profusa; Trousseau grana quadraginta octo dosibus duabus hora dimidia porrecta semper ad haemorrhagiam sistendam sufficere arbitratur.

Conjungitur hocce remedium cum aqua aromatica, jusculo, cum saccharo, vino, melle. In colatura datur aptissime drachma una cum unciis aq. comm. quinque per denas vel quindenas minutas, in partes tres divisa. Hooker ac Levrat-Perroton infusi formam aptissimam esse dicunt. Clysmatum forma per vaginam applicandorum Villeneuve utitur in metrorrhagiis profusis. Infantes et adolescentes magis secali cornuto afficiuntur quam annis provecti, mares magis quam feminae. Oleum secalis cornuti guttis XX—XXX illitum contra rheumatismum efficaciam exhibuit.

VITA.

Natus sum Stanislaus de Szarzyński, catholicae fidei addictus anni h. s. decimi noni Calendis Octobribus Janovii, qui est pagus Silesiae superioris, patre Philippo Jacobo, olim duce magno cohortis praetorianae Stanislai Augusti, regis Poloniae, tum, patria relicta, praefecto superiore saltuum Myslovitiensium, matre Anna e gente Drabik; patre jam prima aetate mors inexorabilis me privavit, matrem hucusque vivere et vigere admodum laetor.

Tirocinia, quae in puerum cadere solent, intra domesticos parietes edoctus, primisque latinae linguae elementis institutus a Reverendissimo Markefka, parocho Myslovitiensi, cujus memoriam nulla unquam oblivio ex animo meo grato ejiciet, gymnasium adii Glivitiense, ibique per septem annos literis operam navavi. Examine quod dicunt maturitatis superato, almam Viadrinam petii, ubi

anno tricesimo octavo, Ill. Otto rectore magnifico, ab Ill. Purkinje, t. t. decano, facultati medicae adscriptus sum. Anno quadragesimo quarto almam hanc adii universitatem literariam, atque hic ab Ill. Lachmann inter cives academicos receptus, nomen rite professus sum apud Ill. Busch, decanum gratiosi medicorum ordinis maxime spectabilem. Interfui autem hisce lectionibus: Ill. Benedict de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrice, de fasciis et instrumentis rite applicandis; Ill. Betschler de gynaecologia universa et arte obstetricia; Cel. Burchard de operationibus obstetriciis; Ill. Fischer de chemia universali; Ill. Goeppert de plantis officinalibus; Ill. Glocker de mineralogia; Ill. Gravenhorst de zoologia; Ill. Henschel de encyclopaedia et historia rei medicae; Ill. Klose de therapia generali; Ill. Otto de anatome corporis humani, anatome comparata et pathologica, de osteologia et syndesmologia, historia foetus, nec non idem vir Ill. artem cadavera in foro rite secandi me docuit et in theatro anatomico dux mihi fuit; Ill. Pohl de physice experimentali; Ill. Purkinje de physiologia et pathologia generali; Ill. Remer sen. de therapia speciali, medicina forensi atque arte formulas medicas rite concinnandi; Ill. Remer jun. de syphilide; Ill. Wagner de politia medica; Ill. Wendt de materia medica, de therapia speciali.

In clinicis duces mihi fuerunt Illustrissimi Betschler, Benedict, Juengken, Remer sen. adjuvantibus Exp. Dr. Koehler, Menschig, Nega, Wendt, Raymann, Benedict.

Quibus Viris Illustrissimis, Celeberrimis, Experientissimis, summos medicinae et chirurgiae honores, tentaminibus philosophico et medico, nec minus examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Ordine absolutis, adepturus maximas ago gratias.

THESES.

1. Laryngotomiam posthabendam censeo tracheotomiae.
2. Secale cornutum morbus est ovarii.
3. Vera raphaniae causa in depravatione omnium nutrimentorum consistere non potest.
4. Recte monet Koelliker, non esse animalcula, sed fila spermatica.